35

DISCURSUS PHYSICUS, *DE* SENSIBUS INTERNIS.

QVEM

DUCE ET COMITE DEO;

PERMISSU

COLLEGII PHILOSOPHICI AMPLISSIMI,

SUB

CLYPEO

Clariſſimi atq; Acutiſſimi Philoſophi,

DN. JOHANNIS GEILFUSI,

Naturalis Philoſophiæ, Organique Ariſtotelis in Almâ hâc Nicrinâ Profeſſoris Celebratiſſimi, ejusdemque Academiæ p. t. RECTORIS Magnifici, Præceptoris & Patroni ſui filialiter colendi, honorandi.

Defendere ſubibit,

JOHANN-GEORGIUS PANTZHAFIUS, URACENSIS.

Ad Diem 16. *Iunij.*

In Auditorio Philoſophorum Æſtivo.

TUBINGÆ,
PRÆLO WERLINIANO.

ANNO MDCXLIIX.

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. JOHANNI OSWALDO,

D. Medico, Sereniſſimi Ducis Bavariæ Archiatro, Practico Feliciſſimo.

DN. COGNATO, MUSAGETÆ, ET MECOENATI UNICO, PARENTIS Inſtar Colendo.

Hancce Diſputatiunculam,

In grati Animi ſignum, Studiorum ſuorum Teſtimonium, ac ulterioris Promotionis, ac Commendationis Incitamentum,

Inſcribit, mittit,
Dedicat, dicat,
Offert,

JOH. GEORG. PANTZHAFIUS,
Anth. & Reſp.

I. N. S. S. T.

THESIS PRIMA.

ESSE dariqúe FACULTATES quaſdam, quibus Objecta Senſibilia cognoſcimus, quotquot hactenus vixêre ſani Philoſophi, utrâque manu largiti ſunt.

II. Quid autem & quænam illæ ſint, varii variè ſenſerunt. Miſſis autem aliis, eam Sententiam amplectimur, quæ Senſus Internos ſtatuit.

III. *Senſus Interni ſunt, qui ſpecies rerum ſenſibilium, non ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes, ſine corporis Organo externo percipiunt.*

IV. Dicuntur Interiores, quia intra Cranium in Cerebro ſua munia exequuntur, nec inſtrumentis externis utuntur. Deinde, quia ſua ſenſilia non habent extra, ſed intra, unde res abſentes apprehendunt.

V. Disceptabatur olim inter Præclariſſimos Philoſophos, & adhuc ſub Iudice lis eſt, de numero Senſuum Internorum. Alii unum eſſe ſtatuunt, ſed virtute eſſe veluti quadruplicem, propter quatuor munia inſigniter inter ſe diſtincta, quæ per Senſum communem, Phantaſiam, Æſtimativam, & Memoriam ſignificantur, *Ut Euſtachius à Sancto Paulo.* Alii duos, Facultatem nimirum Iudicandi & Conſervandi, vel Senſum communem, & Phantaſiam, *ut Collegium Conimbric. Comm. 3. de Anima. cap. 3. quæſt. 1. Artic. 3.* Alii tres, Senſum communem, Phantaſiam, Memoriam, *ut Toletus Com. in libr. 3. de Anima. text. 162. quæſt. 6. Mag. libr. 6. Phyſic. Perip. cap. 12. theſ. 3.* Alii quatuor, addentes Æſtimativam, ſeu vim cogitandi, *ut Colleg. Conimbr.* Alii quinque, addentes Æſtimationem, & Imaginationem, *quæ Avicennæ & Alberti dicitur fuiſſe Opinio.*

VI. Nos huic ſententiæ, quæ veritati proxima, aſſentimur, cæteris tanquam falſis, & à vero tramite aberrantibus reiectis, dicimusque duos eſſe tantùm Senſus Internos: Senſum Communem, & Phantaſiam.

VII. Quod ita ſtabilimus: *Quot ſunt Differentiæ Operationum, tot ſunt Senſus Interiores.* Nam non aliunde numerum Senſuum Internorum poſſumus colligere, quam ex diverſitate operationum. *Atqui duæ ſunt Differentiæ Operationum. Ergò totidem ſunt Senſus Interni.* Minor probatur, Senſus enim communis vis tota poſita eſt in recipiendo, Phantaſia acceptas rerum ſpecies diligentiùs examinat, pleniusque expendit. Et hæ duæ Differentiæ pariunt duos diſtinctos Senſus.

VIII. Nec poteſt numerus iſte Senſuum Internorum colligi ex numero Ventriculorum Cerebri: Ventriculi enim in eum uſum non ſunt conditi; Verum vel ad ſpiritus procreandos, vel ad excrementa Cerebri excipienda.

IX. Invento numero Senſuum internorum, ſpeciatim de ſingulis diſſeramus, exorſi à Senſu communi, qui ita dicitur, non quod commune aliquod ſenſibile à particularibus abſtrahat, ſed quia cenſet & judicat omnium externorum ſenſuum obiecta, & communis eſt omnium ſenſibilium Iudex.

X. *Definitur, quod ſit Senſus Internus, per quem omnia Senſuum externorum objecta præſentia apprehendimus, eaque à ſe invicem discernimus.*

XI. Quà definitum non dicitur Senſus communis, qui ſicut Senſus cæteri, propria ſenſibilia percipiunt: Ita ille communia, ſed quia omnia Obiecta ab externis ſenſibus allata & percepta percipit. Regis enim ille inſtar aut Iudicis, velut in throno, aut pro tribunali ſedens ab externis illis quinque Senſibus, ceu miniſtris fidelibus ſingillatim viſa, audita, odorata, guſtata, tractataque æſtimat & diiudicat.

XII. *Quà Definitionem, dicitur Senſus communis eſſe, per quem omnia Senſuum externorum objecta præſentia apprehendimus, eaque à ſe invicem discernimus.* In quâ Definitione notandum. 1. Quod dicitur, omnium Senſuum Obiecta. Idem enim hîc eſt Obiectum, quod propriorum Senſuum, nimirum quod à Senſibus propriis perceptum, ad communem defertur.

Poſſet

XIII. Poſſet autem hîc objici : *Quicunque Senſus circa objecta diverſa & varia verſatur, ille eſt multiplex. Senſus communis circa objecta diverſa verſatur. Ergò eſt multiplex, & non unus.*

XIV. Sed reſpond. per ſe & in ſe unicum eſſe, quatenus unâ eâdemque operatione ſimul, verbi gratia, coloris & ſoni, differentias percipit : Per accidens autem eſſe multiplicem. Iudicans & ſentiens viſiones, quodammodo eſt videns, judicans odores olfaciens eſt, & ſic in cæteris.

XV. 2. *Notetur, quod dicitur, objecta præſentia.* Per quod Senſus communis differt à Phantaſiâ. Per eam enim etiam res abſentes cognoſcuntur.

XVI. 3. *Notetur, quod dicitur, ea à ſe invicem diſcernimus.* Per quæ verba Senſus communis iterum à Senſibus externis diſtinguitur. Nullus enim eorum poteſt à ſe invicem diſcernere obiecta Senſuum externorum, quia tantum propria ſua obiecta cognoſcunt. Vt autem Facultas aliqua diſcernere quædam à ſe invicem poſſit, oportet, ut ea omnia cognoſcat.

XVII. Objectum eius ex dictis conſtat, nimirum eſſe quasvis ſpecies ſenſiles, ab externis Senſibus perceptas. Illo namque apprehendit & percipit externorum Senſuum actiones, nec ſolùm apprehendit externorum obiecta, ſed etiam à ſe invicem diſcernit, videlicet, album eſſe album, & non dulce, ſonum eſſe ſonum, & non odorem, frigidum non eſſe calidum, amarumque non album. Denique cognoſcit exteriorum ſenſuum actionem, ſeu operationem. Nam nullus Senſus externus ſuam ſentit & cognoſcit actionem. Neque enim oculus videt ſe videre, neque auris ſe audire, ſed huius ſenſus beneficio ſcit animal ſe videre, audire, guſtare, odorari, tangere.

XVIII. Sed dubitabit aliquis, oriantur ne tam nobiles Operationes ab hoc ſenſu, oriri potius à mente, ſtatuendum? *verum ſi hoc eſſet, Bruta Animalia, in quibus Mens non eſt, non perciperent, & agnoſcerent ſuas ſenſationes. Sed quia ſentiunt, ſe videre, ſe audire, ſe latrare, &c. Stat noſtra*

Sententia firmo talo, non à mente, ſed à Senſu communi, has Operationes proficiſci.

XIX. Quod autem huius Senſus Organon ſeu Sedes ſit, inter Doctos diſputatur. Ariſtoteles eam eſſe Cor ſtatuit, Medici Cerebrum, poſterior ſententia amplectenda. Ratio eſt: *Quia cujusque Senſus ſedes, non melius quam à læſione membri, in quo reſidet, inveſtigatur. Conſtat autem læsâ quâdam Cerebri anteriore cellula, Senſus quoque communis operationem lædi.* Cerebri etiam anterior pars, & humidior eſt, & ad recipiendum aptior Et quidem Senſus communis debuit ſuam ſedem habere in primâ cerebri parte, ut citius omnia ſenſibilia oblata, tanquam Iudex ſedens pro tribunali poſſit excipere, apprehendere, & cognoſcere.

XX. *Phantaſia eſt alter Senſus Internus, qui ſpecies à ſenſu communi accipit, acceptas diligenter examinat, diutius retinet, ex ÿsque alias elicit.*

XXI. Deſcriptio ſumitur ab Obiecto proprio, inſtrumentis, modo ſentiendi, eiusque muniis diverſis.

XXII. Obiectum eius ſunt Species à Senſu communi delatæ, quæ etiam Senſus communis ſunt Obiecta. Vnde reperiuntur, qui ſenſum communem à Phantaſiâ differe negant, hâc perſuaſi ratione: *Quacunq; habent idem Objectum, illa non differunt. Senſus communis & Phantaſia habent idem Objectum.* Ergò. Minorem probant, quia Phantaſia percipit ſenſibilia per Senſus externos, quemadmodum Senſus communis. Sed Reſpond. primò, Senſus communis tantùm Obiecta præſentia externorum Senſuum cognoſcit & dignoſcit, Phantaſia autem in abſentibus quoque verſatur. Deinde Phantaſia ſpecies à Senſu exteriore non acceptas percipit. Senſus autem communis judicat de rebus, ut per ſpecies oblatæ ſunt.

XXIII. Organon Phantaſiæ eſt medium Cerebri, quod anteriori parti ſiccius, & ad retinendum aptius eſt.

XXIV. Ineſt autem Phantaſia non tantùm homini, ſed & brutis. Quod ipſum Ariſtotel. confirmat, *libr. 3. de Anim. cap. 11.*

Officia

XXV. Officia Phantaſiæ varia & multa ſunt. 1. Species à Senſu communi confusè oblatas connectit atque componit. 2. Easdem exactius ponderat, judicat, atque discernit. 3. Conſervat ſpecies, iterumque profert, efflagitante neceſſitate. Hinc etiam amotis & abſentibus externis obiectis potis eſt operari, operationesque producit non elicitas ex ſenſibilibus obiectis, ſed ineſt naturalis quædam impreſſio ad certa, certo modo & tempore, ex certa materia producenda. Exemplum habemus in avibus, in formicis, in apibus, quæ ſtato Anni tempore nidificant, frumentum congregant, mellificant, etiamſi ſuæ ſpeciei individua ſic agere antea non viderint.

XXVI. Utrique Senſui ſervit Memoria, *eſtque Facultas Animæ ſenſitivæ, quæ ſpecies à Senſibus tàm internis quàm externis apprehenſas conſervat, easque rurſus exhibet poſtulante neceſſitate.*

XXVII. Quæſtio autem incidit: An ſit annumeranda Senſibus? Negativa verior videtur, quam ita corroboramus: *Omnis Senſus eſt cognoſcitivus. Memoria non eſt cognoſcitiva. Ergò non eſt Senſus.* Major eſt ex definitione ſenſuum. Minor probatur, quia non cognoſcit, ſentire autem eſt cognoſcere.

XXVIII. Differt igitur revera à Phantaſiâ, ſecus quàm nonnulli putant. *Quæcunque enim Objecto differunt, illa revera differunt. Memoria & Phantaſia Objectis differunt.* Ergò. Maior certa eſt. Minor probatur. Obiectum enim Phantaſiæ eſt rerum tàm præſentium, quàm abſentium, & ita eius obiectum ex circumſtantiâ loci petitur. At verò Memoriæ obiectum ſunt res præteritæ, unde eius obiectum ex circumſtantiâ temporis deſumitur. Deinde alius eſt actus Phantaſiæ, alius Memoriæ, uti notum eſt.

XXIX. Obiectum Memoriæ nunc vidimus, nimirum non eſſe rerum præſentium, nec futurarum, ſed præteritarum.

XXX. Organon denique ſeu ſedem Memoriæ poſtremam Cerebri partim facimus, *quia hâc parte læſâ quocunque graviore modo, ſive frigore, ſive lapſu, ſive ictu, ipſa etiam Me-*

moria

moria læditur. Medici etiam quæcunque Medicamenta confirmandæ Memoriæ adhibent, Occipitio applicant.

XXXI. Varia autem in variis eſt Memoria. Pueris propter perpetuum incrementi motum, atque copiam & exceſſum humiditatis non eſt Memoria firma. Senes etiam infirmioris ſunt Memoriæ, quia ſiccius habent Memoriæ Organon. Nam licet humoribus abundent, à nativo tamen humore deſeruntur, cuius apta commiſtio inſtrumentum memorandi contemperat: adventitii verò humores nihil conferunt. Iuvenes verò Memoriâ pollent meliori, quam infantes & ſenes, quia valent temperatâ humiditate & ſiccitate, quod verò ſecus in ſenibus atque pueris eſt. Iſti namque nimiâ humiditate abundant, hi nimiâ ſiccitate.

PRÆSTANTISSIMO DN. RESPONDENTI.

QUIS Labor, internos oculis exponere Senſus,
Mi PANZHAFE, decus lausque Novenſilium?
Quæ Tibi tot, quæ tanta poteſt Phantasmata virtus
Promere, tàm variis officioſa modis?
Miror! at Ingenium memini, ſtudiique tenorem,
Atque caput Muſis nocte dieque ſacrum;
Senſibus hoc imis (res eſt non parva) reponit
Princeps Aonii Phœbus Apollo Chori;
Iamque corolla Tuo capiti injicienda paratur,
Hanc cape, ſic ſequitur fructus honos oneris!

Εὐνοίας χάριν *deproperavit,*
M.Ioh.Ludov.Hezer/S.Th.St.

II.

SCilicet inſignis Laus eſt & Gloria magna
Ducere ab antiquis nobile nomen avis.
Major at eſt longè factis extendere famam,
Quam neque poſt mortem deleat ulla dies:
Quod facias video, Naturæ quæris amœna
Abdita, quod præſens indicat hoc ſpecimen.
Perge igitur, veluti pergis, tunc tempore juſto
Præmia pro tanto digna labore feres.

τῆς φιλίας ἕνεκα *Conſalino ſuo*
Scribeb.
Ioh.Iacob.Weiſſenſee/Phil. St.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.